

VINDICIÆ
JURIS DIVINI, AC NATURALIS
CIRCA USURAM,
QUÆ VELUTI LIBER SEPTIMUS HABERI POSSUNT,

ADVERSUS OPUS NOVISSIME EDITUM

DE USURIS LICITIS, ET ILLICITIS
NICOLAI BROEDERSEN.

His vindiciis capite ultimo inseritur peculiaris Dissertatio
de Concilio Viennensi sub Clemente V.,
ejusque decretis.

TOMUS SECUNDUS.



BONONIÆ MDCCLVII.

Apud Thomam Colli ex Typographia S. Thomæ Aquinatis.
Superiorum permissu.



AD LECTOREM.



Postquam sex libros de jure divino, ac naturali circa Usuram scripsi, in quibus Catholicam de Usuris doctrinam ab Usurarum patronis oppugnatam vindicare studui; proximo Anno 1743. prodiit in Batavia, sine loci designatione, magnum *de Usuris* volumen in duodecim libros digestum, in quo a Nicolao Broedersen Schismatico Belga Usuræ patrocinium omni conatu suscipitur. Hunc to-
mum cum legissem, etsi nihil novum, & grave deprehendi, quod in memoratis libris satis confutatum non sit; quædam tamen peculiariora, quæ minus attentis fucum facere visa sunt, responsionem aliquam efflagitant, quam licet post Opuscula lucubratis, memoratis libris sex *vin-*



VINDICIÆ JURIS DIVINI, AC NATURALIS CIRCA USURAM.

C A P. I.

De origine controversa præsentis, & variorum scriptorum circa usuram inter Schismaticos Belgas. De Broederfen volumine.



Um potissima ratio, cur inter Schismaticos in Fœderato Belgio pro fœneratitiis contractibus, censuum utrinque redimibilium nomine tectis, summa contentione dimicatum sit, ducatur ab antiqua Belgii consuetudine, quam jure, ac legitime inductam, ac ab Episcopis, & Ecclesia approbatam, nonnemo præfert; de hujus consuetudinis origine antea cognoscere juverit. Itaque olim in Belgio, ut in aliis Catholicis locis, ac præsertim in Germania, & Hispania, reales legitimi census, in solius venditoris gratiam redimibiles, ex Martini V., & Callisti III., aut Nicolai V. Constitutionibus usque ad medium seculum decimum sextum creabantur ab omnibus, qui pecuniam hominibus fundos habentibus dabant; idque jus vulgatum, atque certum, testatur ipsa Philippi II. sanctio an. 1567., qua a Delphensibus roga-

tus in gratiam pecuniarum pupillariorum, quibus ex Caroli V. edicto anni 1550. reales census emebantur, scripto juri derogandum putavit, ut pupilli, cum ex tutela excessissent, si collocatio censualis displiceret, utiliusque sibi ducerent pecuniam negotiari, aut alia ratione occupare, census redemptionem a venditoribus exigere, & pecuniam reposcere possent. Edita mox Pii V. Bulla de censibus, qua hoc pactum in emtorum gratiam appositum sustulit, nec non Gregorii XIII. Constitutione, qua etsi, eodem Philippo II. intercedente, a Pianæ Constitutionis rigore dispensavit; tamen pacta antiquæ Nicolai V. Bullæ contraria, si alicubi inducta essent, aboleri præcepit, inter quæ pactum redimendi in emtoris gratiam censetur, ut Opuscul. I. c. 4. §. 3. videbimus. His, inquam, Constitutionibus editis, num illud pupillariorum pecuniarum privilegium, ab ipso Rege sublatum fuerit, ignoro.

1. Hoc unum scio, non multo post an. 1588. præcipuam quandam Belgii consuetudinem jamdiu inductam allegari a Sasboldo Episcopo, qua pupillares pecuniæ apud Senatuum depositæ, non amplius in emtionem censuum, sed in subsidium indigentium conferebantur; idque

ib. n. 25 p. 12.

Broed. l. 12. part. 2. c. 15. §. 6. ubi p. 1739.

Broederfen l. 1. part. 1. n. 22. p. 10.

pieta